



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

Vinculis quibusnam mysticis quisque ligare sese debeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

Vinculis quibusnam mysticis quisq; ligare sese debeat.

Ligatum tui causâ Dominum videns, caue ne iterum te in vincula, hoc est, in peccata conijcias, porius autē vinculis charitatis Domino Iesu astringi peras. Liga temetipsum funibus præceptorum Dei, liga temetipsum nexibus charitatis, ne proximo facias quod tibi nolis fieri. Nihil ad eò tenet hominem, ne perperam quid agat, nec prohibitum transgrediatur, quam charitas. Liga linguam tuam, cum illius habeas potestatem, ne ad detractoria, ne ad contumeliosa, ne ad scurrila denique laxetur verba. Lege apostolum Iacobum, quam vile sit membrum lingua, si bene regatur, hoc est, si sub freno diuini timoris & silentij funibus restricta arceatur, quod religiosi faciunt boni: quam validum item pestiferumq; sit malum, si liberum relinquatur. Nobilissimum tamen omnium est vinculum charitatis. O felicem, qui hoc vinculo Christo est alligatus. Hoc putamus vinculo alligatum Paulum, quando dicebat: *Quis nos separabit à charitate Christi & tribulatio & angustia &c.* Et infra: *Certus sum enim, quod neque mors, neque vita, &c. neque creatura aliqua poterit nos separare à Charitate Dei, que est in Christo Iesu.* Hoc funiculo Agnes beatissima Christo suo fuit sponso alligata, vnde nullis muneribus, nullis promissis, non minis, non pœnis denique, vt præfecti filium respiceret, poterat auelli. His funibus Lucia sanctissima erat alligata, quæ multis boum paribus à loco, vbi Christo hærebat, ad lupanar non poterat abduci. His funibus pij ligauerunt se religiosi, puta obedientiæ, castitatis, atque voluntariæ paupertatis, quibus constructi, in multijugi virtutum operatione Christo semper coherent.

Funibus quibusdam seipsum mysticè ligare debet homo. Iacob. 3.

Vinculorum omnium nobilissimum esse charitatem. Rom. 8. S. Agnes.

B. Lucia. Funiculo triplici bonos religiosos Christo esse alligatos.

IESVS FUGIENTIBVS A SE DISCIPVLIS, est derelictus. Articulus XIII.

Marc 14.

Tunc (scilicet comprehenso Iesu) discipuli relicto eo, omnes fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur illum, amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille relicta sindone, nudus profugit ab eis.

HOMILIA XIII.

Fuga discipulorum cur Christo fuerit dolorosa. Iob. 19. Psalm. 37.

Ivxta hunc locum nulli esse dubium debet, Christo discipulorum fugam non leuiter fuisse pœnosam, de qua inter dolores suos singulariter etiam est conquestus in Iob: *Fratres meos longè fecisti à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me.* Item, *Elongasti à me amicum & proximum, & notos meos à misericordia.* Quomodo enim Christo fuga atque recessio discipulorum, qui erant etiam filij sui, amici, & charissimi quos post matrem suam habebat in mundo, non fuisset dolorosa? Non tamen ideo fuit Christi cordi pœnosa, quasi discipulis eguerit, aut quod solatio aliquo oprato propter illos priuatus sit: quin potius quia illos amabat, illis benefacere studebat, doluit pro illorum scandalo, doluit ipsorum infirmitatem, doluit illorum dolorem, quia sciebat eos dolentes atque orbatos magistro, in tristitia versari. Fuit tamen præterea quod ad iudicium humanum, & in hominum oculis, narrabatur quoque probrosum Christo, quod ab illo discipuli quoque ipse recesserant. Considerandum iterum, quod licet Petrus postea sequutus fuerit à longe, & Ioannes sub